

nos super ostia quæ ad propugnacula ducunt, attollentur, quæ opere latericio diligentius tegendi ac præmuniendi sunt, ne cui aeris tempestatu expositæ testudines detrimentum accipiant. At hic memoria repetendum est, quod & supra communi, ut scalarum ratio sic instituat, quò inter binas consequentes septem pedum areola interponatur. Sclarum verò gradus hoc loco ad duodenos pedes esse productos conuenit, quò & pluribus vna conscendendi, & obuiis cedendi mutuò locus suppeditet.

Atque hætenus descriptum est futuri operis fundamentum, proximum est eius attollendi rationem præfinire. Primò itaque ex rotundis valli muris is qui anterior est, ex fossæ alveo in sublime ad 40 pedes excitabitur. Caterum ex huius finibus protracti laterales muri hac forma exædificentur, ut portiones quæ in ciuitatis aream excipiuntur, aggeris altitudinem exequant: extrinsecæ verò infra supra fossæ labra aliquantum subsistant. Ac in his attollendis id præstandum est, ut sursum versus paulatim introrsum coeant. Transuersus paries seu murus in quo collaterales quasi communi lineamento iunguntur, comparem cum his altitudinem fortietur. Deinde & murus rotundus qui interior est, conformi ubique crassitie à fundo ad 70 pedes in sublime confurgens, vrbis mœnibus utrobique intercalabitur. Intra hunc demum agger ad vrbis mœnia usque coaceruatus, quæ in urbem porrigitur, ab area videnos pedes attolletur. Vbi & testudines subterraneas valide confirmare, & his sustinendis fornices destinatos corroborare usus & ratio postulat, ne superurgentis terræ ponderi succumbant. Porro è regione A, relinquatur angulus mediarum testudinum duarum capax, qui secretioris cellulæ cuiuspiam, sui usum præstabit. Fornices testudinum semicirculari figura à fundamento attollentur, intrinsecus sedecim pedum altitudine supra aream eleuati. Ac in singulis fornicum quaternionibus ordinandis centrum in solum defigitur, quò cum primordia cuiusque referuntur, quadrangulam in area figuram exprimunt. Testudines parietum impedimentis carebunt, ut quaque versus expeditam adeundi facultatem præbeant. Harum singulis & luminum & recentis aeris excipiendi gratia caminorum gulæ astruendæ sunt, quinque pedum laxitate, quas in submouendis transferendisque tormētis, in vallo operiri conuenit. Ac præsertim quæ muros collaterales spectabunt testudines, faciliè ita comparaueris, ut luminis aerisque copiam sufficienter obtineant. Quanquam in hisce apertionibus astruendis id vel ubique sedulo studendum est, ne hymbribus perfundendis accommodentur. Alioqui enim pluriæ intra testudines susceptæ duplex incommodum afferent: vel enim opus ipsum commacerando atterent, vel putrefactæ ac in vapores solutæ inficient aërem. Ac muris transuersis ostia sunt astruenda, per quæ in testudines subeundi libera expeditaque facultas concedatur. Hæc sanè camerarum atque testudinum ordinatio præter commoditates reliquas, vel hoc nomine maxime probatur, quod quasi cellulas quasdam & receptacula præbet instrumentis, quæ defensionis usus in vallo postulat, ibi commodè afferuandis. His deinde testudinibus ex lapide paucum huiusmodi inducetur, quod hymbribus effundendis accommodatum sit,